



XXI. Jahres - Bericht
des
k. k. Staats-Gymnasiums
RIED
an
Schlusse des Schuljahres 1891|92.

- I. Quatenus Cicero in oratione de imperio Cn. Pompei observaverit praecepta rhetorica. Von J. Meusburger, k. k. Professor.
- II. Schulnachrichten vom Director.

**Quatenus Cicero in oratione de imperio
Cn. Pompei observaverit praecepta rhetorica.**

Forma orationis breviter describitur.

I. Pars generalis.

1. Genus causae.
Auct. ad H. I, 2
demonstrativum.
2. Qualitas causae.
Auct. a. H. I, 5
honesta.
3. Constitutio causae.
A. ad H. I, 18
coniecturalis.
4. Dispositio.
A. ad H. I, 4 ; III, 16
artificialis.
 - a. Exordium § 1—3
 - b. Narratio § 4—5
 - c. Tractatio § 6—10
 - d. Confutatio § 51—63
A. ad H. I, 4
 - e. Conclusio § 63—71.

II. Pars specialis.

1. Exordium.
 - a. Genus. A. ad H. I, 6
 - b. Rationes. I, 7 et 8.Benevolentiam sibi comparat:
 - a. A sua persona
 - b. ab adversariorum persona
 - c. ab auditorum persona
 - d. a rebus ipsis. § 2 ext. pte.

Propositio cont. § 3.

„Dicendum est enim de Cn. Pomp. singulari eximiaque virtute“.

2. Narratio § 4-6.

A. ad H. I, 4. De loco eius Quintil. IV, 2. 25.

- a. Genus. A. ad H. I, 12 unum est genus etc.
- b. Ratio. A. ad H. I, 10-16, Quint. IV, 2, 45, 54-55.

quantum opus est h. c. breviter

„ sat est „ „ dilucide

Transitio ad tractationem.

A. ad H. IV., c. 26.

§ 6 Continet etiam Partitionem-Propositionem: „Causa, quae sit, videtis, quid agendum sit, considerate. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum“.

Cicero de Inv. I, 22, 31-33 vide schol. latinae p. 3-4.

3. Tractatio § 6-50.

A. ad H. I, 24; II, 3 pag.

Quae tres partes habet.

I de genere belli § 6-19.

II de magnitudine belli § 20-26.

III de imperatore deligendo § 27-50.

I. De genere belli.

§ 6 orationis continet causas, quibus bellum genere ipso est necessarium; agitur enim gloria P. R. Agitur salus sociorum, et amicorum, aguntur certissima et vectigalia maxima p. Romani, aguntur bona multorum civium. Haec est partitio quadruplex primae partis, animadvertenda est etiam figura, quae vocatur Anaphora. In § 7-19 haec quatuor partes aguntur, et quidem in § 7-12 gloria p. R. in § 12-14 salus sociorum et amicorum. § 14-16 vectigalia p. Romani. § 17-19 bona civium. § 20 Transitionem ad alteram tractationis partem continet. „Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine dicam“.

II. De magnitudine belli.

§ 20-26.

Bellum magnum et periculosum est nam:

- a. Mithridates fugiens maximam vim auri in Ponto reliquit § 20-22.
- b. A Tigrane multisque Asiae regibus adiuatur § 23-24.
- c. In exercitum nostrum clarum et victorem fecit impetum § 25.
- d. Duce avvocato exercitum Rom. magna clade affecit. § 26.

III. De deligendo imperatore.

§ 27.

Unus Pompeius deligendus est. § 28 partitionem huius partis continet. „Ego enim sic existimo, in summo imperatore quattuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem“.

a. Scientiam rei militaris. § 28

b. Virtutem, { α virtutes imperatoriae
β „ reliquae

Virtutes imperatoriae. § 29. Partitionem earum continet ut in § 28. Neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo. Ex quibus celeritas in agendo praecipue demonstratur in § 34. „Atque haec, qua celeritate gesta sint quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt.“

§ 36 Partitionem reliquarum virtutum continet.

- a. Maxima innocentia est § 36-39.
- b. „ temperantia „ § 49.
- c. „ continentia „ § 41.
- d. maximo consilio „ § 42.
- e. maxima humanitate „ § 47-49.
- f. „ felicitate „ § 47-49.
- g. Praeterea maxima utitur auctoritate et apud hostes et apud socios § 43-46.
- h. In iis ipsis locis belli adest.

Haec tertia pars pulcherrimum exemplum est „generis demonstrativi causarum.“

A. ad H. III, cap. 8.

4. Confutatio. § 51-63.

A. ad H. I, 4.

- a. Conf. sententiae Hortensii
- b. „ Catuli.

5. Conclusio. § 64-71.

Auct. ad H. II, 47.

- a. Nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia. § 63-68.
- b. § 69-70 orator legem Maniliam laudat et adiuvat.
- c. in § 71 orator se omnia rei publicae causa suscepisse confirmat.

Haec oratio omni tempore exemplar „mediocri dicendi generis“ habita est. Vide Fronto, de bello Parthico p. 331 19. ed. Francof. A. ad Her. 4, 8. Cicero Orator 29, 101. Halm p. 119 tum 106.

Pars generalis.

Omnes fere veteres consentiunt, materiam artis rhetoricae ad tres potissimum partes referri; laudativam, deliberativam, iudicialem, quae partes autem genera causarum dicuntur.

1. Genera causae. (Auctor ad Herennium, I, 2.)

Genera causarum tria sunt: demonstrativum, deliberativum, iudiciale. Demonstrativum est, quod tribuitur in alienius certae personae laudem aut vituperationem. Rh. ad H. I, 2. Haec igitur Ciceronis oratio est ex genere demonstrativo.

2. Qualitas causae. (Auctor ad Herennium, I, 5.)

Genera causarum sunt quattuor: Honestum, turpe, dubium, humile. Rh. ad H. I, 5. Honestum causae genus putatur, cum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum videtur, aut id oppugnamus, quod ab omnibus videtur oppugnari debere, ut pro viro forti contra parricidam. Pompeius omnes virtutes possidet, quare ex omnibus unus est deligendus imperator Pompeius.

3. Constitutio causae. (Auctor ad Her. I, 18.)

Constitutiones tres sunt: Coniecturalis, legitima, iudicialis. Rh. ad H. I, 18, 25. Coniecturalis est, cum de facto controversia est.

4. Dispositio vel partes orationis. (Auctor ad Her. I, 4 u. III, 16).

Dispositio est, per quam illa, quae invenimus, in ordinem redigimus, ut certo quidque loco pronuntietur.

Genera dispositionum sunt duo, unum ab institutione artis profectum, alterum ad casum temporis accommodatum. Ex institutione artis disponemus, cum utamur principio, narratione, divisione, confirmatione, confutatione, conclusione. Rh. ad H. III, 9, 16. Cicero in oratione de imperio Cn. Pompei dispositionem artificialem secutus est.

Partes orationis.

1. Exordium. (Auctor ad Her. I, 6, 7 et 8).

Est principium narrationis, per quod animus auditoris constituitur ad audiendum. Exordiorum genera sunt duo: principium (*προόμιον*) et insinuatio (*εἰσφορά*). In nostra oratione §§ 1 et 2 Exordium continent.

2. Narratio. (Auctor ad Her. I, 4).

Narratio est rerum gestarum aut proinde ut gestarum expositio. In nostra oratione §§ 3-5 narrationem continent.

Haec narratio tam brevis est, quia res populo iam nota erat. Aptissime orator eas tantum res memorat, quae populo persuadeant, et bellum esse periculosum et extraordinarias rationes necessarias esse.

3. Tractatio. (Auctor ad Her. I, 24 et II, 3 sequ.)

Tractatio vel confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum adseveratione. Tractatio nostrae orationis tres partes habet. 1. de magnitudine belli. 2. de genere belli. 3. de imperatore deligendo. §§ 6-50 eam continent.

4. Confutatio.

Confutatio est contrariorum locorum dissolutio. Rh. ad Her. I, 4. In oratione de imperio Pompei §§ 51-63 eam continent.

5. Conclusio.

Apud Graecos *ἐπιλογος* constat ex enumeratione, amplificatione, commiseratione. Quattuor locis uti possumus conclusione. In principio, secundum narrationem, secundum firmissimam argumentationem et in conclusione. Rh. ad Her. I, 4. In nostra oratione §§ 64 usque ad finem conclusionem continent.

Pars specialis.

1. Exordium.

Exordium est principium orationis, per quod animus auditoris constituitur ad audiendum. In § 3 orationis Cicero dicit, dicendum esse de Cn. Pompei singulari eximiaque virtute, cuius orationis difficilius esse exitum quam principium invenire. Ita sibi non tam copiam quam modum in dicendo quaerendum esse.

a. Genus Exordii. Rh. ad Her. I, 6.

Genera Exordii sunt duo: principium et insinuatio. Principium, quo Cicero in hac oratione est usus, est, cum statim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id ita sumitur, ut attentos, ut dociles, ut benevolos auditores habere possimus.

b. Rationes. Rh. ad H. I, 7 et 8.

Dociles auditores habere poterimus, si summum causae breviter exponemus, et si attentos eos faciemus, nam docilis est, qui attente vult audire.

Attentos habebimus auditores, si pollicemur nos de rebus magnis, novis, inusitatis verba facturos aut de iis rebus, quae ad rem publicam pertineant, aut ad eos ipsos, qui audient, aut ad deorum immortalium religionem.

Quomodo orator haec praecepta secutus est?

Attentos facit auditores his verbis: „Atque illud mihi laetandum iure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi causa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini possit. Dicendum est enim de Cn. Pompei singulari eximiaque virtute etc.“

Benevolos facit auditores in §§ 1 et 2.

a. A sua persona in § 1. „Hoc aditu laudis non mea me voluntas adhuc, sed vitae meae rationes ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt . . . omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.“

b. ab auditorum persona capit benevolentiam in § 2. „Meus labor, in privatorum periculis caste integreque versatus, ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus. Nam cum propter dilationem comitiorum ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile intellexi, Quirites, et quid de me iudicaretis, et quid aliis praescriberetis.“

c. a rebus ipsis, in § 2 ext. parte. „Nunc, cum et auctoritatis in me tantum sit, etc. certe et si quid auctoritatis in me est, apud eos utar, qui eam mihi dederunt, et si quid in dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse duxerunt.“

Propositio § 3.

In § 3 orator summum causae breviter exponit: „Dicendum est enim de Cn. Pompei singulari eximiaque virtute.“

2. Narratio.

Rh. ad H. I, 4. Quint. IV. 2, 25.

Narratio est rerum gestarum aut proinde ut gestarum expositio. In nostra oratione § 4—5 narrationem continent. Cicero rem multitudini iam notam breviter narrat. Narrationis initium sumit a tribus causis, a bello, a damno, ab hoste.

De bello quid est quod ad populum commovendum dici possit? grave et periculosum esse.

De Damno? calamitatem inferri vectigalibus populi Romani.

De hoste? non unum esse hostem, sed duos, et duos reges et reges potentissimos.

De loco narrationis loquitur Quintil. IV. 2, 54.

Alterum est, de quo frequentius quaeritur, an sit ubique narratio prooemio subiicienda. Nam cum prooemium idcirco comparatum sit, ut iudex ad rem accipiendam fiat conciliator, docilior, intentior et probatio nisi prius cognita non possit adhiberi, protinus iudex notitia rerum instruendus videtur. Sed hoc quoque interim mutat conditio causarum. Ibidem § 55 dicit Quintilianus.

Omnia denique, quae probatione tractaturi sumus, personam, causam, locum, tempus, instrumentum, occasionem, narratione delibabimus. Cicero de oratore II § 330 dicit: „omnis orationis reliquae fons est narratio“. Cicero in narratione huius orationis iam tractationem significat.

In § 4 „bellum grave et periculosum vestris vectigalibus ac sociis a duobus potentissimis regibus infertur.“

Et in § 5 e. p. „Unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti, eundem hunc unum ab hostibus metui, praeterea neminem.“

a. Genus narrationis. Rh. et ad Her. I, 12.

Narrationis tria genera sunt. Unum est, cum exponimus rem gestam et unum quidque trahimus ad utilitatem nostram vincendi causa, quod pertinet ad eas causas, de quibus iudicium futurum est.

Alterum est genus narrationis, quod intercurrit nunquam fidei aut criminationis aut transitionis aut alicuius apparationis vel laudationis causa.

Tertium genus est id, quod a causa civili remotum est. Huius narrationis duo genera sunt, unum quod in negotiis, alterum quod in personis positum est. Illud genus narrationis, quod in personis positum est debet habere sermonis festivitatem, animorum dissimilitudinem, gravitatem, levitatem, spem, metum, suspicionem, desiderium, dissimulationem, misericordiam, rerum varietates, fortunae commutationem, insperatum incommodum, subitam laetitiam, iucundum exitum rerum. Cicero in oratione de imperio Cn. Pompei tertio genere narrationis usus est, quod in personis positum est.

b. Ratio. Rh. ad H. I, 14—16. Quint. IV, 2, 45; 54—55.

Tres res habere convenit narrationem, ut brevis, ut dilucida, ut verisimilis sit.

Quomodo Cicero haec praecepta secutus est?

Cicero incipit narrare inde, unde necesse est, ut ipse dicit in § 4. „Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur, bellum grave et periculosum vestris vectigalibus ac sociis a duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate et Tigrae, quorum alter relictus, alter lacessitus occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur“. In § 5. „Unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti, eundem hunc unum ab hostibus metui, praeterea neminem.“ In nostra narratione res summatim non particulatim narratae sunt et usque eo, quo opus erat, persecutus orator nullis transitionibus usus est.

Ergo narratio brevis est.

Etiam dilucida est. Res enim dilucida narratur, si quidquid primum gestum est, ita primum exponimus et rerum ac temporum ordinem conservamus, ut gestae res sunt, aut ut potuisse geri videntur. Considerandum est, ne quid perturbate, ne quid contorte, ne quid ambigue, ne quid nove dicamus, ne quam in aliam rem transeamus, ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur, ne quid, quod ad rem pertinet, praetereamus. Quo enim brevior, eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet.

Verisimilis narratio erit, si, ut mos, ut opinio, ut natura postulat, dicemus, si spatia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum opportunitates constabunt, ne refelli possit aut temporis parum fuisse, aut causam nullam, aut locum indoneum non fuisse, aut homines ipsos facere aut pati non potuisse. Quintilianus IV, 2, 45 e. p. dicit: „Ut fortasse ubique, in narratione tamen praecipue, media haec tenenda sit via dicendi, quantum opus est (breviter), quantum sat est (dilucide).“

§ 6 Transitionem continet ad tractationem. „Causa, quae sit videtis.“

Transitio vocatur, quae cum ostendit breviter, quid dictum sit, proponit idem brevi, quid sequatur, hoc modo: mea in istum beneficia cognostis, nunc, quo modo iste mihi gratiam retulerit, accipite. Rh. ad H. IV, c. 26.

Paragraphus 6 continet Partitionem (Propositionem): „Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum.“

Cicero de inventione I, 22, 31—33: „Partitio recte habita in causa illustrem et perspicuam totam efficit orationem. Eius partes duae sunt, quarum utraque magnopere ad aperiendam causam et ad constituendam pertinet controversiam. Una pars est, quae quid cum adversariis conveniat et quid in controversia relinquatur, ostendit. (Constitutio causae.) Altera est, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breviter expositis ponitur distributio, ex quo conficitur, ut certis animo res teneat auditor, quibus dictis intellegat fore peroratum.“

Haec partitio finit narrationem; ab hoc capite incipiunt argumenta.

Adnotatio.

Postquam Cicero in exordio causas exposuit, quibus factum sit, ut tum primum apud populum ageret, et deinde dilucida narratione rem, de qua acturus erat, proposuit, totam orationis argumentationem ita partitur, ut primum de genere belli sive necessitate eius, deinde de magnitudine, denique de imperatore ad id bellum deligendo sibi dicendum esse demonstrat.

3. Tractatio.

§§ 6—50.

Tractatio huius orationis tres partes habet:

1^{ma} pars: De genere belli.

§§ 6—19.

§ 6 orationis causas continet, quibus bellum genere ipso necessarium est:

agitur enim gloria populi Romani,
agitur salus sociorum et amicorum,
aguntur certissima et maxima vectigalia p. R.,
aguntur bona multorum civium.

Haec est partitio quadruplex primae partis, est etiam animadvertenda figura, quae vocatur Anaphora, qua Cicero in hac partitione usus est.

1. Agitur gloria populi Romani.

§§ 7—12.

Cicero enim dicit:

„Quoniam semper adpetentes gloriae praeter ceteras gentes atque avidi laudis fuistis, delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiore concepta, quae penitus iam insedit ac nimis inveteravit in populi Romani nomine, quod is, qui uno die tota in Asia . . . cives Romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam suo dignam scelere suscepit, sed . . . regnat, et ita regnat, ut se non Ponti neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere ex patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc est in Asiae luce versari . . .

Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate, sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret . . .

Mithridates autem omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris, sed ad comparationem novi contulit . . .

Sed tamen alterius partis periculum, Sertorianae atque Hispaniensis, quae multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompei divino consilio ac singulari virtute depulsum est; in altera parte ita res a L. Lucullo, summo viro, est administrata, ut initia illa rerum gestarum magna atque praeclara non felicitati eius, sed virtuti, haec autem extrema, quae nuper acciderunt, non cul-pae, sed fortunae tribuenda esse videantur . . .

De vestri imperii dignitate atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meae, videte quem vobis animum suscipiendum putetis.

Maiores nostri libertatem civium Romanorum imminutam non tulerunt, vos vitam ereptam neglegetis? ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos legatum omni supplicio interfectum relinquetis? Videte ne, ut illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperii gloriam tradere, sic vobis turpissimum sit id, quod accepistis, tueri et conservare non posse.“

2. Agitur salus sociorum et amicorum.

§§ 12—14.

In § 12 Cicero interrogat:

„Quid? quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur, quo tandem animo ferre debetis? Regno est expulsus Ariobarzanes rex, socius populi Romani atque amicus; imminet duo reges toti Asiae, non solum vobis inimicissimi, set etiam vestris sociis atque amicis“

In § 13 dicit orator:

„Vident et sentiunt hoc idem quod vos, unum virum esse, in quo summa sint omnia . . . ; cuius adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intellegunt ac retardatos. Hi vos . . . tacite rogant, ut se quoque dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis.“

In § 14 initio Cicero hanc rem absolvit et tertiam causam significat:

„Maiores nostri, nulla ipsi iniuria lacessiti, cum Antiocho . . . si propter socios bella gesserunt, quanto vos studio convenit, iniuriis provocatos, sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere, praesertim cum de maximis vestris vectigalibus agatur?“

3. Aguntur certissima populi Romani vectigalia.

§§ 14—16.

Cicero memorat vectigalia ceterarum provinciarum tanta esse, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possint. Asiam autem tam fertilem esse

ut et ubertate agrorum et varietate fructuum facile omnibus terris antecellat. Itaque illam provinciam non modo a calamitate sed etiam a metu calamitatis defendendam esse, nam in vectigalibus non solum adventum mali sed etiam metum ipsum adferre calamitatem. Uno rumore periculi atque uno belli terrore totius anni fructus amitti.

Itaque in § 16 extr. p. exclamat Cicero:

„Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructui sunt, conservaveritis, non solum, ut ante dixi, calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?“

4. Aguntur bona multorum civium.

§§ 17—19.

„Ac ne illud quidem vobis neglegendum est, quod . . . ad multorum bona civium Romanorum pertinet, quorum vobis pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter.“

Cicero enim dicit, et publicanos suas rationes et copias in aliam provinciam contulisse, et homines ex ceteris ordinibus partim ipsos in Asia negotiari, partim eorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habere. Non enim posse in una civitate multos rem ac fortunas amittere, ut non plures secum in eandem trahant calamitatem. Quare rem publicam ab hoc periculo prohiberent.

Orator causam absolvit cum recapitulatione totius partis in § 19 ex. part:

„Quare videte num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium coniunctae cum re publica defendantur.“

§ 20 continet transitionem ad alteram partem tractationis his verbis:

„Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.“

Adnotatio.

Hoc loco et in oratione pro Sext. Roscio § 118 transitio incipit forma „quoniam“, qua Cicero in huiusmodi transitionibus libenter utitur.

II^{da} Pars.

De magnitudine belli.

§§ 20—26.

Bellum magnum et periculosum est nam:

a. Mithridates fugiens maximam vim auri in Ponto reliquit.

§§ 20—22.

Postquam Cicero merita Luculli memoravit, eumque magna laude extulit, Mithridatem fugientem maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium, quas et a maioribus accepisset et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congegisset, in Ponto omnem reliquisse narrat. Quae cum Romani diligentius colligerent, regem ipsum e manibus effugisse

b. A Tigrane multisque Asiae regibus adiuvatur.

§§ 23—24.

In § 23 Cicero narrat Tigranem, regem Armenium, Mithridatem in fuga excepisse, diffidentemque rebus suis confirmasse et adflictum crexisse perditumque recreasse.

In § 24 dicit orator:

„Mithridates autem et suam manum iam confirmarat, et magnis adventi-
ciis multorum regum et nationum iuvabatur“

c. In exercitum nostrum clarum et victorem fecit impetum.
§ 25.

„Nam cum se in regnum suum recepisset, non fuit eo contentus, ut....
sed in exercitum nostrum clarum atque victorem impetum fecit“.

d. Duce avvocato exercitum Rom. magna clade affecit.
§ 26

„L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi potuisset
fortasse, vestro iussu coactus, partem militum dimisit, partem M. Glabrioni
tradidit Sed ea vos coniectura perspicite, quantum illud bellum factum
putetis, quod coniungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes, susci-
pian integras gentes, novus imperator noster accipiat vetere exercitu pulso.“

In § 26, 15. Cicero has duas partes tractationis absolvit verbis:

„Satis mihi multa verba fecisse videor, quare esset hoc bellum genere ipso
necessarium, magnitudine periculosum.“

Ad n. Ad has duas confirmationis partes Halmus aptissime adnotat:

„Duabus prioribus confirmationis partibus orator supersedere poterat, si
verum causae statum constituere voluisset, id quod ipse aperte in principio con-
futationis indicat, cum dicit § 51: „omissis auctoritatibus ipsa re ac ratione
exquirere possumus veritatem, atque hoc facilius, quod ea omnia, quae a me
adhuc dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, et necessarium esse bellum
et magnum et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia“.

Nam necessarium bellum omnibus visum esse iam inde apparet, quod nun-
quam intermissum erat; neque de magnitudine eius, quamquam eam orator nimis
exaggeravit, in hoste dubitatio esse poterat, qui post tot clades nondum de-
victus esset, sed necessariae erant hae duae partes in fine, quem orator sibi
proposuerat, ad quem omnis totius orationis ratio conferenda erat. His enim
diligenter pertractatis in eam opinionem populum adducere conabatur, tale esse
bellum, quod maxime ad persequendi studium excitare deberet, quod magnis
copiis magnoque apparatu quasi de integro gerendum, quod denique ei impe-
ratori demandandum esset, cuius summae essent virtutes imperatoriae.

In § 26 Cicero tertiam partem confirmationis significat verbis:

„Restat ut de imperatore ad id bellum deligendo ac tantis rebus prae-
ficiendo dicendum esse videatur.“

III^{ta} Pars.

De imperatore deligendo.

§§ 27—50.

Unus Pompeius deligendus est.

§ 28 Partitionem huius partis continet. „Ego enim sic existimo, in summo
imperatore quattuor has res inesse oportere: scientiam rei militaris, virtutem,
auctoritatem, felicitatem“.

a. Scientiam rei militaris.

„Quis hoc homine scientior unquam fuit aut esse debuit? qui saepius cum
hoste conflixit quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit, quam
ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt; cuius adoles-
centia ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis sed suis imperiis, non
offensionibus belli sed victoriis, non stipendiis sed triumphis est erudita.“

b. virtutem.

Distinguentium est inter virtutes imperatorias et virtutes reliquas

a. § 29 partitionem continet virtutum imperat.

„Neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur:
labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in confi-
ciendo, consilium in providendo, quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus
reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt“ Ex his
virtutibus celeritas in agendo praecipue demonstratur in § 34 his verbis:

„Atque haec, qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in
dicendo praetereunda non sunt“.

Inprimis Cicero celeritatem agendi significat in § 35 ex. p.:

„Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo
bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme ad-
paravit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.“

b virtutes reliquae

§ 36 partitionem reliq. virt. continet. „Ac primum quanta innocentia debent
esse imperatores, quanta in omnibus rebus temperantia! quanta fide, quanta fe-
licitate, quanto ingenio, quanta humanitate! quae breviter qualia sint in Cn.
Pompeio consideremus.“

In iis paragraphis, quae sequuntur, singulae virtutes tractantur et quidem
in § 36—39 innocentia.

a. Maxima innocentia est § 36—39.

Cicero memorat imperatorem, cuius in exercitu centuriatus veneant atque
venierint, nos in nullo numero putare posse, sicuti hominem, qui pecuniam ex
aerario depromptam ad bellum administrandum aut propter cupiditatem provinciae
magistratibus diviserit aut propter avaritiam Romae in quaestu reliquerit. Eum
enim imperatorem exercitum continere non posse, qui se ipsum non contineat.
Eo magis autem mirari debemus hunc hominem, cuius legiones sic in Asiam
pervenerint, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cui-
quam pacato nocuerint.

In § 39 c. p. dicit orator:

„Non modo ut sumptum faciat in militem nemini vis adfertur, sed ne cu-
pienti quidem cuiquam permittitur. Hiemis enim, non avaritiae perfugium maiores
nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt.“

b Maxima temperantia est. § 40.

Eas res, quae ceteros remorari solent, eum non retardasse, non libidinem
ad voluptatem devocasse, non amoenitatem ad delectationem, non nobilitatem
urbis ad cognitionem, non denique ipsum laborem ad quietem, Cicero narrat.
Maximum autem argumentum temperantiae haec verba continent:

„Postremo signa et tabulas ceteraque ornamenta Graecorum oppidorum,
quae ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem
existimavit.“

c. Maxima continentia est. § 41.

„Nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam
continentia, quod iam nationibus exteris incredibile ac falso memoriae proditum
videbatur . . . nunc intellegunt non sine causa maiores suos tum, cum ea tem-
perantia magistratus habebamus, servire populo Romano quam imperare aliis
maluisse.“

d. Maximo consilio est. § 42.

„Iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat, in quo
ipso inest quaedam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso ex loco saepe
cognovistis.“ „Et quisquam dubitabit . . . divino q. consilio . . .“

e. Maxima humanitate est § 42.

„Humanitate iam tanta est, ut difficile sit dictu, utrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint.“

f. Maxima auctoritate utitur et apud hostes et socios. § 43—46.

α) apud socios. § 43—45.

„Et quoniam auctoritas quoque in bellis administrandis multum atque in imperio militari valet, certe nemini dubium est, quin ea re idem ille imperator plurimum possit. Vehementer autem pertinere, ad bella administranda, quid hostes quid socii de imperatoribus nostris existiment, quis ignorat, cum sciamus homines in tantis rebus, ut aut contemnant aut metuant aut oderint aut ament, opinione non minus et fama quam aliqua ratione certa commoveri? quod igitur nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit? de quo homine vos, id quod maxime facit auctoritatem tanta et tam praeclara iudicia fecistis? . . . Itaque, ut plura non dicam neque aliorum exemplis confirmem, quantum auctoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur . . . Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecit? aut quam facile imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?“

β) apud hostes. § 46.

„Age vero illa res quantam declarat eiusdem hominis apud hostes populi Romani auctoritatem, quod ex locis tam longinquis tamque diversis tam brevi tempore omnes huic se uni dediderunt . . . Potestis igitur iam constituere, Quirites, hanc auctoritatem, multis postea rebus gestis magnisque vestris iudiciis amplificatam, quantum apud illos reges, quantum apud exterarum nationes valituram esse existimetis.“

g. Maxima felicitate est § 47—49.

„Reliquum est ut de felicitate, quam praestare de se ipso nemo potest . . . timide et pauca dicamus . . . De huius autem hominis felicitate, de quo nunc agimus, haec utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut praeterita meminisse, reliqua sperare videamur . . . Itaque non sum praedicaturus, quantas ille res domi militiaeque, terra marique, quanta felicitate gesserit, ut eius semper voluntatibus non modo cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes oboedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.“

„Hoc brevissime dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui ab dis immortalibus tot et tantas res tacitus auferret optare, quot et quantas di immortales ad Cn. Pompeium detulerunt.“

In § 49 Cicero recapitulatione totius tractationis usus duas priores eius partes simpliciter significat, tertiae autem ut firmissimae partis etiam subdivisionem adhibens, his verbis:

„Quare cum et bellum sit ita necessarium, ut neglegi non possit, ita magnum, ut accuratissime sit administrandum, et cum ei imperatorem praeficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna, dubitatis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis a dis immortalibus oblatum est et datum, in rem publicam conservandam et amplificandam conferatis?“

h. Pompeius in iis ipsis locis adest. § 50.

„Quod si Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erit deligendus atque mittendus: nunc, cum ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adiungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis qui habent accipere statim possit, quid exspectamus?“

aut cur non ducibus dis immortalibus eidem, cui cetera summa cum salute rei publicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committamus?“

Adnotatio.

Haec tertia pars argumentationis exemplum generis demonstrativi causarum est. Auct. ad H. III c. 8:

„Ne hoc genus causae (demonstrativum) eo quod raro accidit in vita negligentius commendandum est; neque enim id, quod potest accidere ut faciendum sit aliquando, non oportet velle quam commodissime posse facere; et si separatim haec causa minus saepe tractatur, at in iudicialibus et in deliberativis causis saepe magnae partes versantur laudis aut vituperationis, quare in hoc quoque genere causae non nihil industriae consumendum putavimus.“

Sequitur confutatio adversariorum, quae infirmissima orationis pars existimanda est.

4. Confutatio. § 51—63.

Confutatio est contrariorum locorum dissolutio. Rhetor. ad H. I, 4.

a. Conf. sententiae Hortensii § 52—58.

Quid igitur ait Hortensius?

„Si uni omnia tribuenda sint, unum dignissimum esse Pompeium, sed ad unum tamen omnia deferri non oportere.“

Cicero hanc sententiam his verbis oppugnat:

„Obsolevit iam ista oratio, re multo magis quam verbis refutata. Nam tu idem, Q. Hortensi multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi et in senatu contra virum fortem, A. Gabinium, graviter orateque dixisti, cum is de uno imperatore contra praedones constituendo legem promulgasset, et ex hoc ipso loco permulta item contra eam legem verba fecisti. Quid? tum, si plus apud populum Romanum auctoritas tua quam ipsius populi Romani salus et vera causa voluisset, hodie hanc gloriam atque hoc orbis terrae imperium teneremus? . . . cum ita clausa nobis erant maria omnia, ut neque privatam rem transmarinam neque publicam iam obire possemus?“

„Itaque unus vir, una lex, unus annus non modo nos illa miseria ac turpitudine liberavit, sed etiam effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare. Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam ane Pompeio an utriusque, id quod est verius, ne legaretur A. Gabinio Cn. Pompeio expetenti ac postulanti . . . Mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinio belli maritimi rerumque gestarum Cn. Pompeio socius adscribitur, propterea quod alter uni illud bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit, alter delatum susceptumque confecit.“

b. Confutatio sententiae Catuli. § 59—62.

„Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate et sententia dicendum esse videatur.“

Sententia Catuli significata est in § 60: „At enim, ne quid novi fiat contra exempla atque instituta maiorum.“ Cicero in ipso Marii exemplo atque adeo enumeratione eorum, quae in uno Pompeio nova constituta sunt, levitatem auctoritatis viri summi probare conetur.

In § 60 enim dicit orator:

„Non dicam¹ hoc loco, maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse, semper ad novos casus temporum novorum consiliorum

¹) Rhetor. IV c. 27. „Non dicam etc.“ pulcherrimum exemplum est figurae, quae vocatur occultatio. „Occultatio est, cum dicimus nos praeterire aut non scire aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus.“

rationes accomodasse; non dicam, duo bella maxima ab uno imperatore esse confecta, duasque urbes potentissimas, quae huic imperio maxime minitabantur . . . ab eodem Scipione esse deletas; non commemorabo, nuper ita vobis patribusque vestris esse visum, ut in uno C. Mario spes imperii poneretur . . . in ipso Cn. Pompeio, in quo novi constitui nihil vult Q. Catulus, quam multa sint nova summa Q. Catuli voluntate constituta recordamini.“

§ 61. „Quid tam novum quam adolescentulum privatum exercitum difficili rei publicae tempore conficere? confecit; huic praeesse? praefuit, rem optime ductu suo gerere? gessit . . .

Quid tam inauditum quam equitem Romanum triumphare? . . .

Quid tam inusitatum quam, cum duo consules clarissimi fortissimique essent, ut eques Romanus ad bellum maximum pro consule mitteretur? . . .

Quid tam singulare, quam ut ex senatus consulto legibus solutus consul ante fieret, quam alium magistratum per leges capere licuisset? Quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex senatus consulto triumpharet?

Quae in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt, quam haec, quae in hoc uno homine¹ videmus. Atque haec tot exempla, tanta ac nova profecta sunt in eundem hominem a Q. Catuli atque a ceterorum eiusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate.“

„Atque in hoc bello“ — § 68 incl. His verbis Cicero mala provinciarum commemorat.

In prioribus enim locis orator demonstrare volebat, Pompeium propter virtutes imperatorias dignissimum esse qui dux belli crearetur, hoc loco autem demonstratur, Pompeium unum esse. Sententiam Ciceronis imprimis haec verba continent:

§ 67. „quasi vero Pompeium non cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum esse videamus.“

In extrema autem confutatione aliorum virorum auctoritatibus causam suam confirmat, quibus Hortensio et Catulo, dummodo auctoritatibus opus sit, se respondere posse confidit.

Adnotatio:

Hac orationis confirmatione Tullius proprium sibi argumentum contra Hortensii et Catuli sententias comparavit: ut enim vera videantur, quae adversarii contra dixerint, tamen propterea ista non audienda esse, quod imperator deligendus sit, qui non tantum suis virtutibus excellat, sed etiam communibus aliorum vitiis careat. Sic aptissime concluditur prima pars confutationis, quae bipartita est, cum in priore parte adversariorum sententiae argumentis, in posteriore contrariis virorum clarissimorum auctoritatibus refellantur.

Docent enim Rh. ad Her. II. c. q. duo esse genera dispositionum, unum ab institutione artis profectum, alterum ad casum temporis accomodatam. Praeter dispositionem ab arte profectam „alia est, inquit, quae cum ab ordine artificiose secendum est, oratoris iudicio ad tempus accomodatam, ut si etc. quorumni hil, nisi causa postulet, fieri oportebit. His commutationibus et translationibus partium saepe uti necesse est, cum ipsa res artificiosam dispositionem artificiose commutare cogit“. Maxime autem huic pertinent, quae praecipit in § 18.

